Quelle: https://manuscripta.at/?ID=979
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



honorate fraternitate diligite. deum timete. regem honorificate. Secundum fidem christi ihesu domini nostri. Alla. In nomine tua. Alla. Non recedat sermo de manibus tuis. Alla. Non auferas omnino verbum veritatis de ore meo. Alla. Quia in verbis tuis speraui. Alla. Verba oris mei et meditatio cordis mei. Alla. Quia in eternum non obliuiscar iustificationes tuas. Alla. Quia in ipsis vivificasti me. Alla. Principes persecuti sunt me gratis. Alla. Et a verbis tuis formidauit cor meum. Alla. Letabor ego super eloquia tua. Alla. Sicut qui invenit spolia multa. Alla. Iniquitatem odio habui et abominatus sum. Alla. Legem autem tuam dilexi. Alla. Septies in die laudem dixi tibi. Alla. Pax multa diligentibus legem tuam. Alla. Et non est illis scandalum. Alla. Expectabam salutare tuum domine. Alla. Et mandata tua dilexi nimis. Alla. Custodiui testimonia tua et dilexi ea nimis. Alla. Vivificabit anima mea et laudabit te. Alla. Et iudicia tua adiuvabunt me. Alla. Erravi sicut ovis que perit. Alla. Quere servum tuum quia mandata tua non sum oblitus. Alla. Dirige gressus meos in eloquio tuo. Alla. Et non dominetur mei omnis iniquitas. Alla. Redime me a calumpniis hominum ut custodiam mandata tua. Alla. Illuminet faciem suam super nos et misereatur nostri. Alla. Ut cognoscamus in terra viam tuam. Alla. Confitebuntur tibi populi deus confitebuntur tibi populi omnes. Alla. Letentur et exultent gentes quoniam iudicas populos in equitate. Alla. Terra dedit fructum suum benedicat nos deus deus noster. Alla. Benedicat nos deus et metuant eum omnes fines terre. Alla. Gloria patri et filio et spiritui sancto. Alla. Sicut erat in principio et nunc et semper et in secula seculorum. Amen. Alla.

Hymnus. Christe redemptor omnium conserva tuos famulos peregrinos tuos hic et ubique gementes. Et a cunctis malis defensos tibi reddas benignissime. Qui cum patre et spiritu sancto vivis et regnas deus per omnia secula seculorum. Amen.

Ps. Cum exiret israhel de egipto domus iacob de populo barbaro. Facta est iudea sanctificatio eius israhel potestas eius. Mare vidit et fugit iordanis conversus est retrorsum. Montes exultauerunt sicut arietes et colles sicut agni ouium. Quid est tibi mare quod fugisti et tu iordanis quia conversus es retrorsum. Montes exultastis sicut arietes et colles sicut agni ouium. A facie domini mota est terra a facie dei iacob. Qui convertit petram in stagna aquarum et rupem in fontes aquarum. Non nobis domine non nobis sed nomini tuo da gloriam. Super misericordia tua et veritate tua. Ne quando dicant gentes ubi est deus eorum. Deus autem noster in celo omnia quecumque voluit fecit. Simulacra gentium argentum et aurum opera manuum hominum. Os habent et non loquentur oculos habent et non videbunt. Aures habent et non audient nares habent et non odorabunt. Manus habent et non palpabunt pedes habent et non ambulabunt non clamabunt in gutture suo. Similes illis fiant qui faciunt ea et omnes qui confidunt in eis. Domus israhel speravit in domino adiutor eorum et protector eorum est. Domus aaron speravit in domino adiutor eorum et protector eorum est. Qui timent dominum speraverunt in domino adiutor eorum et protector eorum est. Dominus memor fuit nostri et benedixit nobis benedixit domui israhel benedixit domui aaron. Benedixit omnibus qui timent dominum pusillis cum maioribus. Adiciat dominus super vos super vos et super filios vestros. Benedicti vos a domino qui fecit celum et terram. Celum celi domino terram autem dedit filiis hominum. Non mortui laudabunt te domine neque omnes qui descendunt in infernum. Sed nos qui vivimus benedicimus domino ex hoc nunc et usque in seculum. Gloria patri et filio et spiritui sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

Ant. Ego sum panis vivus qui de celo descendi. Si quis ex hoc pane manducaverit non morietur in eternum. Et panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. Alla.

Oratio. Deus qui nos hodierna die per unigeniti tui resurrectionem a mortis vinculis liberasti. Te supplices exoramus ut quos a peccatorum nostrorum nexibus absolvisti. Ab omnibus quoque adversitatibus eripias et ad gaudia eternae beatitudinis admittas. Per eundem dominum nostrum ihesum christum filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti deus per omnia secula seculorum. Amen.

Lectio libri actuum apostolorum. In diebus illis. Cum complerentur dies pentecostes erant omnes discipuli pariter dicentes alla. Et subito factus est sonus de celo tamquam advenientis spiritus vehementis et replevit totam domum ubi erant sedentes alla. Et apparuerunt illis dispertite lingue tamquam ignis seditque supra singulos eorum alla. Et repleti sunt omnes spiritu sancto et ceperunt loqui alla. Varietatibus linguarum prout spiritus sanctus dabat eloqui illis alla. Erant autem in hierusalem habitantes iudei viri religiosi ex omni natione que sub celo est alla. Facta autem hac voce convenit multitudo et mente confusa est alla. Quia audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes alla. Stupebant autem omnes et mirabantur dicentes alla. Nonne ecce omnes isti qui loquuntur galilei sunt alla. Et quomodo nos audiuimus unusquisque lingua nostra in qua nati sumus alla. Parthi et medi et elamite et habitantes mesopotamiam iudeam et cappadociam ponti et asiam alla. Frigiam et pamphiliam egiptum et partes libie que est circa cirenen alla. Et advene romani iudei et proselyti cretes et arabes alla. Audiuimus loquentes eos nostris linguis magnalia dei alla. Et confitebuntur domino misericordie eius et mirabilia eius filiis hominum alla. Et exaltent eum in ecclesia plebis et in cathedra seniorum laudent eum alla. Et benedicant deum omnes qui diligunt eum alla. Et dicant omnes fideles amen amen